

fuerint adiumento ad impetrandam aedilitatem. Nec non etiam per hoc ... id est compensatio implebitur, ut iudices reo maxime prodesse patiantur ad impunitatem praesentis huiusce discriminis ea beneficia, quae Ciceroni
 5 praebuerit exolanti, ut haberet in integro civem patria, quem reposceret. Verbum hoc quoque non incuriose adnotemus, quod debitionem pecuniae dixit.

Gratiam autem et, qui refert, <habet et, qui> habet, eo ipso, quod habet, refert.

10 Locus etsi generalis de animi religione, qui debitam pro beneficio gratiam referat, tamen causae praesenti plurimum patrociniabitur ad favorem copiosius ratiocinante M. Tullio, nec non etiam iuxta praecepta sapientium, qui animos ingratorum non parum cuidam crimini obnoxios
 15 arbitrantur, quando et parentibus et amicis et protectoribus salutis nostrae hoc testimonium debeamus, <ut> nos, in quantum potest, gratos adprobare velimus. De officiis idem lib. I sic ait: *Quodsi ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus,*
 20 *quidnam beneficio provocati facere debemus?* Accedit huc etiam, quod genus maximi criminis aput Persas fuisse traditur, si qui extitisset ingratus, meminitque rei Xenophon Κύρου παιδείας libro primo secundum haec verba conscribens: ...

25

(Desunt II paginae.)